Pax Christi.

Vir Amplissime

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Constitutus pro hominibus ad agenda τὰ πρὸς τὸν θεόν, non usque adeo quae hominem spectant, libenter ago. At vero cum harum portitor Jan Reus, signifer cohortis cuius dux fuit Simon Roobol, instanter me urgeret, ut apud amplitudinem tuam verba pro ipso facerem, hanc provinciam non potui non suscipere. Meliorem petit in eadem cohorte cuius est signifer, dignitatem, quam obtinet. Res non iniqua: si pietate & armis ante virum se praestiterit & gestis potiori conditioni (favente numine & celsitate sua) aptum declaraverit. De pietate eius, ego do testimonium. Decem annos quibus eum novi, Christiano dignum se gessit: pietatis exemplum potest haberi non tantum viris qui castra sequuntur, sed etiam aliis. De armis eius mihi innotuit, dum in Vezaliensi expeditione Bipenniferum, virum se praestitisse: ducemque fuisse eorum qui portam equitatui aperuerunt. Ex oculatis testibus mihi hoc relatum: quorum unus fato concessit, alter etiamnum vivit. Olim Celsitati suae visum eum creare signiferum. Nunc occasione oblatâ, petit altiorem gradum. Ego eius os sum apud Ampl: tuam: rogo ut Ampl: tua eius ~~f~~ os sit & causam agat apud illustrissimum Principem. Si tam diu ac tam bene Phoebi quam Martis castra frequentasset: noluissem ego esse patronus: nec opus foret, cum naturalibus donis valeat. Quod si petitio eius concessa fuerit, non dubito quin respublica ex eius promotione fructum justum aliquando sensura sit: quippe qui eius fortitudinem bellicam in duabus velitationibus ipse vidi. Sicuti causae aequitate, ita & Ampl: tuae humanitate fretus haec scripsi. Nunc Deum oro ut Ampl: tuam omni benedictione prosequatur: & ad bonorum patriaeque utilitatem in longaevâ prosperitate conservet. Ampl: tuam rogo ut boni consulat παῤῥησίαν illius qui semper vult esse

Ampl: Tuae humillimus & ad omnia officia paratissimus servus

Johannes Bosschardt
Eccles

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bosschardt) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/s04

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bosschardt) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/s04

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bosschardt) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/s04

Mÿn Heer

Mÿn Heer Constantin Hugens, Ridder
Heer in Zulichem etc. Raetsheer ende
Secretaris van sÿn Hoogheÿt

in

's gravenhage.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bosschardt) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/s04